



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 7. S. Ignatio Loyolæ ignem imprecantes, vel minitantes, quali igne  
puniti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



rum satur Monacham induit, & quarum  
 Domina erat diuitiarum, fratri transcripsit,  
 qui lautè ipsi necessaria, & socijs Virgini-  
 bus subministravit, vt cœnobium reddere-  
 tur sanè opulentum. Atque ita malignus,  
 ingratusq; calumniator miserè periit, Lam-  
 prinus seruitute exemptus abdicauit se su-  
 perstitione, liberauit sororem, & cum ea in  
 Orthodoxa religione multo dehinc tempo-  
 re felicissimè prouixit. Huc vsque Ioannes  
 Baptista Giraldus: quæ si ad suprâ memo-  
 ratæ historiæ imitationem à calcaria ad ca-  
 neas bestiarum tracta sunt, & Poëticè nar-  
 rantur; tamen ingenium calumniæ, pœ-  
 namq; talionis ad vitium depingunt: quod  
 vitium nullis satis vel historijs, vel fabulis  
 potest castigari. Nunc ad ignis elementum  
 reuertamur, vt ijdem vrantur magis, qui  
 calumniantur.

## §. VII.

*S. Ignatio Loyola ignem imprecantes, vel mi-  
 nitantes, quali igne puniti?*

Nicol.  
 Orland.  
 in hist.  
 Soc. IESV  
 t. 1. lib. 1.  
 n. 58.

Compluti Ioannes Lucena pius sacer-  
 dos dum, comite Ignatio Societatis IESV  
 authore, stipem corrogat, homo nobilis, v-  
 troque conspecto, & cognito ex Lucena, quem  
 in usum eleemosynæ cogeretur; reprehendens

enm.



eum, quod id hominum genus foueret; graui  
 cum stomacho, elata voce, & multis audien-  
 tibus, Male ego incendio peream, inquit, nisi  
 iste (Ignatium demonstrabat) meretur incen-  
 dium. Dictum, factum. Nuntius eodem die  
 perfertur, natum Carolo Quinto Casari filium  
 (is fuit Philippus postea rex Hispaniarum,  
 appellatione ea secundus) cuius natalem dum  
 tota Hispania, pro seque, priuatim, ac publice  
 Complutenses de more festis ignibus gratulan-  
 tur; ille quem dixi nobilis adium suarum tur-  
 riconscensa, ibique illapsa forte scintilla in pyrium  
 puluerem, quem ad illam celebritatem multum  
 subuexerat, miserrimo incendio conflagrauit,  
 conditionem fideliter implens, quam sibi tulerat,  
 si mentiretur: eodemque se & mentitum igne de-  
 monstrans, & temerarij mendacij poenas exol-  
 uens. Ille achrymanit ad funestum casum Igna-  
 tius. Et certe, inquit, me enim uero perinuito,  
 hunc sibi exitum ipse optauit; ac cecidit. Quam  
 autem eo inuito illa ignis talio nobilem  
 corripuerit, intelligi potest ex alio facto,  
 quo, pro igne sibi suisque socijs parando, lon-  
 ge alium reprecatus est ignem. Roma anno  
 1546. Religiosus quidam eruditus, ex amico ini-  
 micus factus, inuidia extimulante, grauiter in  
 Ignatium exarsit: qui etiam iactare cepit, om-

Petr. Ri-  
 baden.  
 lib. 5. de  
 vita S. Ig-  
 natij c. 24



nes nostre Societatis homines, qui in Hispania essent, à Perpiniano Hispalim vsque, igni se traditurum: idq; Ignatio, qui suis verbis renuntiaret, misit. Cui Ignatius per eundem scriptura respondit. Tu quidem, quot quot nostri in Hispania sunt, cremandos te curaturum dicis: ego verò id dico, & opto, ut & tu charitate flagres, & amici tui, ac necessary, non solum, qui in Hispania, sed qui in uniuerso orbe terrarum sunt, Spiritus sancti igne inflammentur & ardeant: ut perfectionis culmen adepti, diuinam gloriam angeant magis, & illustrent. Quod si quid, contra me, bone pater, habes, Iudices Rome sunt, Gubernator, & Vicarius, qui nunc summi Pontificis imperio, res nostras cognoscant, ut sententiam de illis ferant: ad illos referas, queso, antequam sententiam pronuntient, ut ego, si quid debeo, solus exoluam, & corpore meo potius satisfaciam, quod mihi quidem erit incursissimum, quam alij, qui in Hispania sunt, nullà sua culpa, pœnas indebitas pendant. Rome apud S. Mariam de Strata 10. Augusti. 1546. Superiorem talionem à Deo fuisse, dubitari non potest, ut ab imprecando deterreamur; hanc ab Ignatio profectâ, diuini Spiritus ignem, pro dirissimis flammaram minis, optante, legimus, ut imitemur.



mur. Hoc enim faciens, carbones ignis conge-  
res super caput eius, ait S. Paulus, hoc est,  
ita inflammabis ad redamandum, quasi car-  
bones ignitos charitatis & amoris super  
eum effudisses. Siquidem, S. Augustino te-  
ste, nulla maior est provocatio ad amandum,  
quàm praevenire amando.

Rom. 12.  
20.

S. Augu-  
stin. tract.  
de cate-  
chiz, ru-  
dibus.

§ VIII.

*Cineres sacros ridens qui Bacchanalia celebra-  
rat, cineribus plectitur.*

Ceterùm aliter Sanctorum charitas optat  
inimicis, aliter divina iustitia reponit; cuius  
est iisdem quoq; rebus plectere impios, qui-  
bus peccauerunt. Nam siue ad ignem spe-  
ctant cineres ab igne facti; siue ad aërem,  
quem impleuerunt, Theodoricus familiâ  
comes in Vuieda, professione religiosus, te-  
stis est, Confluentiæ carnificem, officio ma-  
gis, quàm moribus infamem, tamen Bacchi  
tempora satis genialiter traduxisse. Itaque  
feriâ tertiâ, cum non solùm diem totum,  
comestationibus comotationibusq; com-  
bussisset, sed noctem etiam ipsam diei iun-  
xisset, manè rursus sitiens socio comite in  
tabernam vinariam intrauit, antè, quàm  
cineres sacros, de manu sacerdotis, vertice  
impositos excepisset. Eo nimirum modo

Cesarius  
Illustr.  
mirac. lib.  
10. c. 53.

Q 3

dicebat,